

Resp. Dist. *Maj.* Est constans si significat id quod de facto et re est perpetuum: conc. Si solum in proposito est perpetuum; neg. In definitione communi justitiae, «quia perpetuum non accipitur »secundum durationem perpetuam actus voluntatis, non superflue »additur constans, ut sicut per hoc quod dicitur *perpetua voluntas* »designatur quod aliquis gerat in proposito perpetuo justitiam »conservandi; ita etiam per hoc, quod dicitur *constans* designetur »quod in hoc proposito firmiter perseveret.»

Obj. 3.<sup>o</sup> Parvuli et amentes habent habitum justitiae, quin habeant constantem voluntatem; ergo justitia non est constans voluntas. Confir. Qui solvit uni creditori quantum debet, est justus quamvis aliis non solvat: ergo non est opus tribuere cuique seu omnibus jus suum.

Resp. Dist. *antec.* Habent habitum sine voluntate actuali; conc. Carent habitu elicitive pro occasione actuum; neg. Datur enim in parvulis baptizatis, de quibus procedit objectio, habitus infusus justitiae; quod autem hic habitus non habeat exercitium est prorsus per accidens.—Ad confir. Dist. *antec.* Si saltem affective aliis velit solvere cum possit; conc. Si nolit subdisting. erit materialiter et inadaequate justus erga unum; conc. Formaliter; neg.

Obj. 4.<sup>o</sup> Qui defendit jura sua contra alios est justus: Sed non tribuit jus alteri. Ergo... Confir. a) Qui suadet alteri ut sibi solvat etiam justus est et tamen non agit in bonum alterius sed suum: Ergo... b) Si corpus et appetitus subjiciantur rationi, datur justitia originalis: Ergo inter partes ejusdem suppositi datur justitia.

Resp. Dist. *antec.* seu *maj.* Est justus negative i. e. non facit injustitiam; conc. Est justus positive; neg... Idem dic ad confirm. a) neque enim suadere actum justitiae est exercere talem; alias qui suaderet alteri actum contritionis, esset contritus... Ad b) Dist. Datur justitia originalis, quae sit proprie et univoce justitia; neg. Analogice; conc. et nego *conseq.* Justitia originalis, qua gaudebat Adam ante lapsum dicit gratiam sanctificantem aliaque dona et inter haec etiam dominium rationis in partem sensibilem; sed hoc non est justitia de qua loquimur.

Obj. 5.<sup>o</sup> Qui se ipsum occidit est injustus erga seipsum: Ergo datur justitia erga se ipsum.

Resp. Neg. *antec.* Non enim contra se, sed contra Deum talis injustus est.

Quomodo Christus toti Trinitati, ac proinde sibi ipsi ut Deo de rigurosa justitia satisfecerit, vide Vol. II, Disq. VII, n. 286.

Obj. 6.<sup>o</sup> contra corollarium I. Qui reddit debitum ex diverso motivo ab honestate justitiae, v. gr. ut sibi conciliet creditorem, facit actum justitiae; vere enim extinguit debitum. Ergo objectum formale justitiae non est honestas relucens in tribuendo cuique jus suum.

Resp. Neg. *antec.*; Ejus rationem dist. Extinguit debitum ratione justitiae; neg. Alia ratione; conc. Ratio est quia ad aequalitatem, quam justitia per se intendit re consequendam, sufficit reddere debitum, unde ad hoc extinguendum non est necesse reddere ex motivo ipsius justitiae, cum hoc nullibi inveniatur praeceptum.

Obj. 7.<sup>o</sup> Justitia intendit reddere justum vel aequale propter intrinsicam bonitatem justii vel aequalis debiti. Sed justum vel aequale debitum necessario constituitur ex jure alterius; si enim hoc cessaret, deficeret quoque justum vel aequale debitum. Ergo non sola honestas tribuendi cuique jus suum, sed etiam jus alterius erit objectum formale justitiae.

Resp. 1.<sup>o</sup> Propter hanc difficultatem aliqui auctores dicunt, duplex esse objectum formale justitiae; unum *propter quod*, honestatem justitiae nempe, quae propter se attingitur et alia propter ipsam; aliud *quo* seu jus alterius, nam propter ipsum attingitur aliud, ipsum tamen potest non amari, imo aliquando nec potest amari in aliis virtutibus v. g. peccatum in actu attritionis ob turpitudinem peccati elicito.

Resp. 2.<sup>o</sup> Dist. *min.* Justum vel aequale debitum constituitur ex jure alterius in recto; neg. In obliquo, ac proinde per se non movente voluntatem ad satisfaciendum alteri; conc. Etenim justum vel aequale debitum non est jus alterius sed illud, quod redditur ad aequalitatem juris alterius; unde patet justum vel aequale debitum non constitui principaliter seu in recto per jus alterius, ex quo ulterius fit, neque honestatem, quae intrinsicè a justitia respicitur, aliud esse quam justum vel aequale debitum prout tamquam bonum honestum apprehenditur. Praeterea, licet concederemus, jus alterius constituere partialiter et secundario in obliquo honestatem justitiae, adhuc non sequeretur jus alterius esse partialiter objectum formale justitiae; nam optime potest quis jura proximi sui odio habere, et nihilominus velle solvere debita ex intrinsicè solutionis honestate.

### THESIS III.

Justitia tamquam in partes subjectas dividitur: a) in particularem et legalem seu generalem, qua membra communitatis praestant ea omnia, quae sunt legibus constituta in ordine ad bonum commune. b) Particularis dividitur in distributivam et commutativam.

39. Nota. Quid sint partes subjectivae, integrales et potentiales alicujus virtutis supra (n. 11) declaratum est, in praesenti thesi, quas habeat justitia partes subjectivas, ad modum quo genus ani-

mal v. g. dividitur in hominem et brutum, determinamus. Justitia, ut ex praecedenti thesi elucet, aequale reddit juri alterius; jus vero alterius potest considerari vel in membris, vel in communitate erga membra, quatenus suis actionibus et aliquando bonis tenentur bono totius communitatis cooperari; si primum habetur justitia particularis; si secundum legalis. Rursus justitia particularis vel est membrorum erga bona communitatis, ut tantum ex eis bonis detur quantum meretur persona, et exurgit justitia distributiva; vel membrorum inter se, ut tantum detur quantum res debita habet pretii, et est justitia commutativa. Prima, ut communiter dicitur, facit aequalitatem geometricam seu rei ad rem sicut personae ad personam, ut cum digniori prae digno datur beneficium; posterior arithmetica seu rei ad rem, ut in venditione et emptione, pretium est rei aequale. Thesis est communis theologorum, si excipias aliquos volentes, divisionem justitiae in suas species non esse propriam sed aequivocam seu analogam; et alios paucos, qui communi divisioni addunt justitiam vindicativam. Nos sumimus in sensu proprio et adaequato, quo est saltem communior cum D. Thoma.

I.<sup>a</sup> Pars. a) Prob. Prout dividuntur jura, ita etiam dividuntur species justitiae: atqui jura rite dividuntur in duo. Ergo... *Min.* prob. Aliud est jus quod habent membra ad invicem vel ad communitatem; aliud quod habet communitas ad bona vel actiones membrorum communitatis, ad bonum commune. Sed primum jus fundat justitiam particularem, secundum generalem seu legalem. Ergo. *Major* prima est evidens ex ipso objecto formali justitiae, quod est honestas prosequendi jus alterius; secunda ex diversitate respectus juris, quod: «ordinat hominem in comparatione ad alium... uno modo, ait D. Thomas (1), ad alium singulariter... alio modo ad alium in communi, secundum scilicet quod ille, qui servit alicui communitati, servit omnibus hominibus. » qui sub communitate illa continentur, » est etiam manifesta. Hanc autem justitiam, quae respicit communitatis bonum esse et dici legalem probat Angelicus (l. c.): «quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, ... inde est quod talis justitia praedicto modo generalis, dicitur justitia legalis, quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.»

II.<sup>a</sup> Pars, b) simili argumento evincitur cum Aquinate (2), quia duplex jus potest in membris reperiri: nam potest «ad aliquam partem duplex ordo attendi; unus quidem partis ad partem: cui similis est ordo unius privatae personae ad aliam; et hunc ordi-

(1) 2, 2, Q. 58. a. 5.—(2) 2, 2, Q. 61, a. 1.

»nem dirigit commutativa justitia... Alius ordo attenditur totius ad partes, et huic ordini assimilatur ordo ejus, quod est commune ad singulas personas; quem quidem ordinem dirigit justitia distributiva, quae est distributiva communium secundum proportionalitatem. Et ideo duae sunt justitiae (particularis) species, scilicet distributiva et commutativa.»

Totam hanc divisionem esse: a) *univocam* prob. Illa dicuntur convenire univoce, quae conveniunt in eadem significatione significata per nomen, in nostro casu in ratione justitiae aequale reddentis. Sed ita justitiae commutativa, distributiva et legalis. Ergo... *Min.* prob. Quia quaeque tribuit jus suum cuique ad aequalitatem: per suum, autem intelligitur, suum non tantum alienative sumptum, in quo sensu servus dicit dominum esse suum: sed stricte proprie, ut scilicet res sua ordinetur ad eum, respectu cujus sua dicitur; non vero ipse ad illam. b) *Esse adaequatam* prob. Quia non sunt excogitabilia ad alterum alia jura proprie dicta.

40. Obj. 1.<sup>o</sup> «Unum et multa non diversificant speciem virtutis. » Sed justitia legalis ordinat hominem ad alterum, secundum ea, quae ad multitudinem pertinent... Ergo non est alia species justitiae, quae ordinet hominem ad alterum in his, quae pertinent ad unam singularem personam.»

Resp. Dist. *Maj.* Si unum et multa se habent materialiter, et non diversificant objectum formale; conc. Si diversificant; neg. «Dicendum, respondet D. Thomas (1) quod bonum commune civitatis et bonum singulare unius personae non differunt solum secundum multum et paucum, sed secundum formalem differentiam. Alia enim est ratio boni communis et boni singularis, sicut alia est ratio totius et partis.» Hinc dist. *min.* Justitia legalis ordinat hominem ad multitudinem; secundum eandem rationem justitiae particularis; neg. Secundum diversam; conc.

Obj. 2.<sup>o</sup> Justitia est ad alterum. Sed justitia legalis non est ad alterum, cum inter communitatem ejusque membrum non sit alteritas. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Est ad alterum suppositum omnimode diversum; neg. Moraliter saltem diversum; conc. In communitate consideranda sunt duo, ex una parte ipsa communitas, quae est unum morale suppositum capax juris et obligationis, ex altera ejus membra, quorum unumquodque est physicum et singulare suppositum, capax proinde juris et obligationis erga communitatem, qua talem. Si instas, membra sunt partes totius, quod est communitas; sed inter totum et partes non est vera justitia; dico, id verum esse de

(1) 2, 2, Q. 58, a. 7, ad. 2.

toto aliquo physico, non de toto morali, quale est communitas; etenim hujus membra non constituunt totum tamquam partes physicae et incompletae, v. g. ut brachium corpus humanum complet, sed tamquam partes morales, quarum unaquaeque suum proprium et perfectum retinet suppositum.

Obj. 3.<sup>o</sup> «Inter unam singularem personam et multitudinem civitatis media est multitudo domestica. Si ergo est justitia alia particularis per comparisonem ad unam personam praeter justitiam generalem, pari ratione debet esse alia justitia oeconomica, quae ordinet hominem ad bonum commune anius familiae; quod quidem non dicitur. Ergo nec aliqua particularis justitia est praeter justitiam legalem.»

Resp. Dist. *antec.* Media est multitudo domestica ut simplex et peculiaris societas, neg. Ut complexa ex aliis societatibus, inter quarum personas ut tales vel non est justitia, vel non nisi particularis; conc. «Domestica multitudo... distinguitur secundum tres conjugationes: scilicet uxoris et viri, patris et filii, domini et servi; quarum personarum una est quasi aliquid alterius. Et ideo ad hujusmodi personas non est simpliciter justitia, sed quaedam justitiae species, scilicet oeconomica (1).» Dixi ut tales, quia si ut singularia individua considerantur, conditio patris et filii, uxoris et viri, servi et domini non tollit quominus filius, uxor et servus sive ex propriis bonis, sive ex cessione suorum superiorum, contra hos verum et proprium jus habere possint.

Obj. 4.<sup>o</sup> Justitia particularis non est tantum circa unum, sed etiam circa plures. Ergo non differt a justitia legali, nec est virtus particularis sed universalis. Confir. Non differunt specie honestas reddendi famam et honestas reddendi pecuniam, sed utrumque objectum spectat ad eandem specie virtutem, scilicet justitiam particularem; Ergo nec differunt honestas reddendi bona privatis et honestas reddendi communitati.

Resp. Dist. *antec.* Justitia particularis est circa plures necessario et per se; neg. Tantum per accidens; conc. Aliquando enim multitudo vel communitas consideratur non ut communitas, sed ut pars particularis, contra quam etiam privatus, tamquam altera pars, habet jus.

Inst. Saltem justitia particularis distribuens bona communia subditis respicit per se plures. Ergo...

Resp. Dist. instantiam; respicit plures sigillatim. Conc. Conjunctim. Neg...

Ad confir. dist. *anteced.* si reddantur ex eodem motivo formali

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 58, a. 7 ad 3.

satisfaciendi juri alterius. Tr. si non. neg. *antec.* et *conseq.* Jam vero non idem esse motivum formale speciale justitiae particularis et legalis constat ex dictis. Dixi «transeat» nam posset dici justitiam particularem habere sub se plures justitias, si non realiter, formaliter distinctas, quae pro suo objecto respiciant diversas honestates v. g. reddendi pecuniam et famam.

Obj. 5.<sup>o</sup> Cum fit distributio bonorum communitatis secundum conditionem personarum videtur etiam fieri per justitiam commutativam. Ergo... *Antec.* prob. Si distributor aliquem fraudaverit, minus dando quam postulabat ejus conditio, faciet ei injuriam, quam tenetur resarcire per legem justitiae commutativae, ut vult D. Thomas (1). Ergo haec erat violata.

Resp. Neg. *antec.* Ad prob. Dist. Tenetur vi justitiae commutativae, si haec immiscetur distributivae; conc. Aliter; neg. Sic quando distribuitur aerarium commune alicujus universitatis vel collegii in singulos pro cujusque dignitate vel ordine juxta leges et consuetudines receptas, quia singuli habent jus strictum ad partem proportionatam dignitati vel labori, concurrunt in eodem distributionis actu justitia commutativa et distributiva; distributiva quatenus attenditur, ut cuique detur secundum proportionem suae dignitatis: commutativa quatenus procuratur, ut cuique detur aequale juri quod habet. Quando vero fit distributio rerum quae stricto jure non debentur, seu acquisito secundum conditionem personarum, tunc justitia distributiva non includit commutativam, ut fit in distributione beneficiorum et officiorum: quae debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita ut ipsi jus strictum ad illa habeant.

Obj. 6.<sup>o</sup> Justitia vindicativa, quae impositis poenis reparat jus laesum, ad nullam ex praedictis justitiis reduci potest; Ergo tradita divisio non est adaequata.

Resp. Neg. *antec.* Etenim, ut notat Molina (2): 1.<sup>o</sup> Judex quando jus dicit in civilibus, et in criminalibus poenam justam infligit, si id praestat ex officio exercet actum justitiae commutativae. Ratio est quia id praestat ex pacto cum Republica, quae ad hoc ei solvit stipendium ut jus dicat; subditosque defendat pro bono Republicae... 2.<sup>o</sup> Judex cum in civilibus jus dicit, alia quoque ratione, justitiam commutativam exercet, nempe, quatenus cooperatur, ut subditi inter se justitiam commutativam servant. 3.<sup>o</sup> Justitia vindicativa, quatenus exigit justam reparationem per poenam contra delictum vel injuriam, valde affinis est commutativae, ad eamque reducitur, quatenus ad aequalitatem secundum proportionem arith-

(1) 2, 2, Q. 62, ar. 1 ad 3.—(2) De just. et jur. Tract. 1. D. 12, nn. 12, 13.

meticam poenam exigit ac imponit pro delicto, nihilominus deficit a perfecta ratione justitiae, quatenus poena, damnum illatum non resarcit, sed solum patitur reus, quantum justum est ipsum pro delicto pati, cum tamen damnum integrum perseveret. Quia ergo deficit a perfecta ratione justitiae non computatur inter partes justitiae particulari subjectas, sed inter partes potentiales (1).

## SCHOLION I.

*De medio justitiae.*

41. **Dico:** Justitia suum attingit medium per rem, non immediate per rationem.

**Nota.** Virtus ut communiter dicitur, in medio consistit. Jam vero hoc medium duplex esse potest, medium rationis, et medium rei. Medium rationis dicitur quod primum usu rationis vel discursu indagari debet; tale medium habet e. g. temperantia, fortitudo, nam quantum cibi sumi debeat, ex discursu intellectus, circumstantiis consideratis, colligi debet. Medium rei dicitur quando ex re ipsa absque discursu statim apparet, quousque virtus extendere se debeat, ne excedat vel deficiat: et sic in justitia statim apparet, debitorem centum scutorum debere usque ad centum solvere, adeoque attendit ad medium rei.

**Prob.** Materia justitiae est exterior operatio, secundum quod ipsa vel res cujus est usus, debitam proportionem habet ad aliam personam. Sed haec debita proportio obtinetur per medium rei. Ergo... *Min.* prob. Haec debita proportio attingitur per aequalitatem rei exterioris ad jus alterius, quod non est quid ratione constituendum, sed quid reale. Sed quod non est medium ratione constituendum non est immediate medium rationis. Ergo... *Minor* declaratur a D. Thoma (2). Quia aequale est realiter medium inter majus et minus.

**Obj. 1.º** Ratio generis invenitur in speciebus sub eo contentis. Sed virtus moralis est ut dicit Philosophus (3): «habitus electivus in medietate existens determinata ratione quoad nos.» Ergo medium rationis non rei, debet primo inveniri in justitia.

**Resp. Dist. *min.*** Virtus est in medietate determinata ratione immediate vel per medium rationis, vel per medium rei; conc. Tantum et exclusive immediate per medium rationis; neg. Ratio ipsa dictat in justitia primum attendendam adaequationem rei ad rem seu medium in re constituendum esse, unde medium rationis in justitia est medium rei.

**Obj. 2.º** «In his, quae simpliciter sunt bona non est accipere superfluum et diminutum, et per consequens nec medium; sicut patet de virtutibus. Sed justitia est circa simpliciter bona. Ergo in justitia non est medium rei (4).»

(1) Vid. D. Thom. 2, 2, Q. 108.—(2) 2, 2, Q. 58, a. 10.—(3) 2 *Ethic.* c. 6.—(4) Ex D. Thoma 2, 2, Q. 58, a. 10, 2.

**Resp. Dist. *Maj.*** Non est accipere superfluum et diminutum in his, quae simpliciter sunt bona absolute; conc. In his, quae sunt simpliciter bona per proportionem ad aliud; neg. Potest enim proportio non servari tum per defectum, tum per excessum; attamen notandum est, contra justitiam peccari solum per defectum, si aliquis minus dat quam debet, non si plus dat; quare medium justitiae non est inter duo vitia sibi invicem per excessum et defectum opposita, sed solum inter plus et minus rei debitae.

## SCHOLION II.

*Quaedam de materia justitiae specialiter notanda.*

42. I. Justitia potius versatur circa actiones quam passiones.

Nam quamvis justitia moderetur passiones v. g. avaritiam ne quis rapiat alienum, tamen quia est ad alterum, et primario tendit ad actiones erga alterum rite disponendas, dicitur circa has potius seu ex primaria sua intentione versari. E contra quia fortitudo et temperantia, sunt ex primaria intentione ad se ipsum, seu proprium subjectum, cujus passiones ex primario suo fine moderantur dicuntur versari circa passiones, quamvis actus proprios bene et honeste eliciant. Quod dictum est de justitia, dicendum quoque de partibus ejus potentialibus quia etiam sunt ad alterum (1).

II. Illud circa quod versatur justitia est semper aliquid debitum ex praecepto justitiae.

Patet ex ratione juris positi in definitione justitiae, non enim potest alteri jus suum reddi, quin reddatur quod ei ex justitia debitum est: cum jus in uno et debitum justitiae in altero sint correlativa. Hinc claret id quod D. Thomas (2) demonstrat proprium justitiae actum esse reddere unicuique seu alteri suum ut per hoc, justitia, a liberalitate, a misericordia quae non proprie reddunt aliis debitum, distinguatur.

III. Propter Pythagoricos, qui asserebant, justum positum esse in contra passione, seu in repassione, ita scilicet, ut uniusquisque id pateretur quod intulit. Ut si oculum eruit, oculus ab eo eruatur; quae poena talionis consuevit appellari, dico cum Molina (3).

1.º In distributiva justitia non datur contra passum. Ratio quia in distributiva non habetur ratio, ut unusquisque tantum de bono communi recipiat quantum dedit.

2.º In commutativa justitia non semper redderetur justum, si pateretur quis idem, quod intulit. Patet: a) In casu quo homo plebejus regem percussisset, vel e contra; cum ex qualitate personae offensae ac offendentis accrescat aut decrescat culpa. b) Quia non puniretur ad aequalitatem fur, si solum cogere reddere quantum est furatus, quia nihil redderet pro injuria tum proximo, tum Reipublicae illata.

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 58, a. 9.—(2) Ibid. a. 11, ad 1.—(3) De just. et jur. tract. I. D. 13.

3.<sup>o</sup> In commutationibus non servatur justum, si unusquisque artifex pro opificio alterius, quo ipse indiget, reddat solum opificium suae artis, quo alius similiter indigeat. Ut si faber domorum reddat sutori domum pro calceo. Ratio est quia non redderetur aequale cum opificia varii sint valoris.

4.<sup>o</sup> Si contrapassum fiat ad aequalitatem quoad latitudinem injuriae, poenae, valoris, etc..... idem est justum commutativum, quod contrapassum, ut patet ex dictis.

#### THESIS IV.

Cum simul in eodem instanti sunt donatio et acceptatio, tunc datur plenum rei dominium in solidum tam in donatore quam in donatario.

43. *Nota.* I. Dominium in quo juris notio plenius habetur, generice definitur a nostro P. Molina (1). «Facultas aliquid »faciendi, cui si sine legitima causa contraveniatur, injuria fit eam »habenti.» Dividitur in dominium jurisdictionis et proprietatis. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi suos subditos; illius actus sunt praecipere, vetare, permittere. Aliud, est politicum seu saeculare, quod est potestas gubernandi in rebus temporalibus; aliud est Ecclesiasticum seu spirituale, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Pontifice, Episcopis, etc.—Dominium proprietatis est jus disponendi de re aliqua tamquam sua in proprium commodum. Aliud est perfectum, seu plenum, quod a juristis definitur: «jus perfecte disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur.» A Theologis vero: «jus in re ad omnem ejus usum seu dispositionem in proprium »commodum nisi legitime prohibeatur.» Aliud est imperfectum seu non plenum, quod habet vel proprietatem rei sine emolumentis, vel emolumenta sine proprietate rei: subdividitur in directum, quod habet solam proprietatem rei, tale est dominium in iis qui vulgo dicuntur proprietarii, quales sunt qui alteri quidpiam dederunt v. g. in usufructum; et in utile, quod habet emolumenta sine proprietate: tale dominium directum dicitur separatum ab utili, non quod careat omni utilitate, cum vi illius varia debeantur obsequia et homagia, sed quod careat utilitate fructuum. Dominium altum est, quod habet Princeps et Respublica, in bona privatorum, quibus uti potest ad bonum commune: Dominium bassum est quod habent cives in sua bona subordinatum dominio alto Principis (2).

(1) De just. et jur. tract. 2, D. 1, tom. 1.—(2) Vid. Platelli De just. et jur. n. 520.

II. Dominium recte definiri a theologis. Illa enim definitio est bona quae est brevis clara et adaequata omni definito. Sed talis definitio data: est brevis ut patet; clara; nam in hac definitione verba «jus disponendi de re in proprium commodum» significant genus juris proprietatis, in eo distinctum a jure dominandi seu jurisdictionis quod hoc sit in commodum subditorum. Per verba: «de re ad omnem ejus usum,» indicatur ultima differentia inter dominium perfectum et imperfectum. Per verba; «nisi legitime »prohibeatur,» indicatur conditio dominii saltem creati, quod in usu rerum pendet a legibus; et licet dominium increatum Dei, non possit ulli legi subjici, tamen Deus sua voluntate sibi est quasi lex qua v. g. non potest negare meritis praemium. Est adaequata, tum quia omni et soli definito convenit; tum quia rem omnem circa quam possit esse dominium comprehendit sive res sit spiritualis, sive sit corporalis.

III. Quaestio de dominio plurium in solidum, quam in thesi proponimus complet notionem juris, et utilissima est ad componendam creatam libertatem cum dominio absoluto Dei. In duplici sensu agitari potest: 1.<sup>o</sup> an sit possibile dominium duorum in solidum, perseverans per aliquod tempus, saltem per plura instantia. 2.<sup>o</sup> an sit possibile dominium illud saltem in uno instanti v. g. donationis, venditionis, etc. Quoad primum est communissima Theologorum et Juristarum sententia, non esse possibile, daretur enim bellum ex utraque parte materialiter justum, quod ex communi sententia repugnat.

IV. Pro altero sensu adverte: 1.<sup>o</sup> Dominium in solidum posse sumi stricte et late. Late, quo sensu aliqui dicunt «Dominium in »solidum esse dominium plurium in rem non dividendam» v. g. permissa polygamiâ, dominium plurium uxorum in corpus unius viri. Stricte cum per «dominium in solidum» intelligitur «dominium perfectum et totale» tam ex parte objecti, quam ex parte subjecti ut dictum est not. I et II. Hunc esse sensum strictum seu justum hujus loquutionis «dominium in solidum» patet ex eo quod leges (1) negant dominium perfectum duorum; aliud seu imperfectum ad mittunt, cum nullum jus prohibeat mihi v. g. dare equum duobus hominibus ut unus una die, alius alterâ utatur. 2.<sup>o</sup> Dicitur destructio formalis seu immediata alicujus rei, id quo res amittit esse quod habebat: v. g. destructio formalis hominis est separatio animae a corpore: destructio vero causalis seu in fieri, quae ponit aliquid in hoc instanti ex quo sequitur destructio formalis in se-

(1) L. Si ut certo. § ultim. ff. Commodati vel contra; L. de haereditate, 19, § 3. ff. De castrensi peculio.